



## **Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus**

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

**Lourenço, Agostinho**

**Leodici Eburonum, 1692**

Sectio X. Vtrùm duratio, & continuatio actus ejus meritum augeat?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

operibus etiam ex gratia factis, neque eis invenitur promissum; alioqui ostendatur, ubi sit talis promissio; ergo &c.


240. Oppones 1. D. Aug. lib. 1. de serm. Domini in monte ad illa verba Matth. 5. *Beati pacifici: videtur contrarium docere, dum ait: Sapientia congruit pacificis, in quibus jam ordinata sunt omnia, nullusq; motus adversus rationem rebellis est: sed cuncta obtemperant spiritui hominis, cum & ipse obtemperet Deo, de quibus hic dicitur: Beati pacifici.* Et addit: *Ita omnia in hac vita possunt compleri, sicut completa esse in Apostolis credimus; ergo &c.* Respondeo primò cum aliquibus, D. Aug. hanc suam sententiam retractasse lib. 1. *Retract. cap. 19.* Non placeat, quia non obstante illa retractatione, Ecclesia illam doctrinam amplexa est; siquidem illam publicè inseruit Breviario Romano autoritate Pii V. & Clement. VIII. approbato in Octava omnium Sanctorum. Unde

241. Respondeo secundò, D. Aug. lib. 1. *Retract. cap. 19.* cit. suam sententiam declarasse, dum ibi ait: *Hoc, quod dictum est, nullum esse motum adversus rationem rebellem, rectè accipi potest id nunc agentibus pacificis domando concupiscentias carnis, ut ad ipsam pacem plenissimam quandoq; veniatur.* Et quod dixerat, hanc pacem fuisse in Apostolis completam: *Sic accipiendum est, addit, non ut in Apostolis hic vivencibus nullum carnis motum arbitremur spiritui repugnasse, sed hæc tamen hic ista posse compleri, quatenus in Apostolis credimus esse completa illa mensura, scilicet perfectionis humane, quanta in hac vita potest esse perfectio.* Unde non fuit illa retractatio propria, sed declaratio; ideoque Ecclesia non dubitavit, illam sententiam D. Aug. in Divino Officio ponere; siquidem supponit intelligendam esse in sensu, quo ab eodem declarata est, nempe de pace, quæ morali quodam modo anxietatem, & contentiosum bellum concupiscentiæ excludat, non autem pacem speculativam (ut ita dicam), quæ nullum omnino motum fomitis permittat, hæc enim pro statu hujus vitæ fictitia est, non vera.

242. Oppones 2. Locus ille ad Rom. 7. 23. quem pro nobis attulimus num. 236. potest etiam afferri contra nos, quatenus illum de peccatoribus intellexerunt aliqui Patres, quos refert, & sequitur P. Tolet. *ibid. tract. 2. cap. 1.* ut sunt Origen. D. Ambr. D. Aug. & alii; ergo &c. Respondeo ex dictis ab iisdem Sanctis Patribus intelligi de homine justificato: licet enim possit de solis peccatoribus intelligi, quatenus peccator illis motibus cedit: at quatenus eos sentit, eis tamen resistit, sine dubio ad Apostolum jam justum, cæterosque justos spectat.

## SECTIO X.

### Utrum duratio, & continuatio actus ejus meritum augeat?

243.  *Et difficultas gravissima est, & una ex præcipuis in hac materia, quam Doctores aliqui opinionem varietate confundunt, magisque difficilem reddunt; eam tamen quæ potuerimus brevitate, & claritate per sequentes conclusiones resolvemus, & aliquas principales eorum sententias apponemus, & rejiciemus. Advertendum hic est contra aliquos Recentiores, actus intentionales intellectus, & voluntatis non esse essentialiter successivos, itant quolibet instanti, & parte temporis diversâ diversus fiat necessariò actus, sed posse eundem numero actum permanere respondentem variis temporum*

durationibus. Ita supponunt omnes Theologi, dum præsentem difficultatem discutunt. Hoc posito.

Dico 1. Quælibet duratio, & continuatio actus augeat illius meritum, ita ut, cæteris paribus, actus diuturnior excellentius præmium mereatur, non solum accidentale, sed etiam essentialiale gratiæ, & gloriæ. Est communis, & certa Theologorum sententia. Ita Greg. in 2. dist. 3. *quest. 1. art. 2. ad 4. Almain. tract. 1. Moral. cap. 9. P. Saar. tomo 3. de Grat. lib. 12. cap. 21. num. 2. & Opusc. de Reversis. merit. sect. 3. à num. 26. P. Vasq. 1. 2. d. 54. cap. 3. & d. 219. cap. 2. Montaus d. 8. cap. 15. Vitor. Relat. de Augment. Charit. part. 1. fine. Cordub. lib. 1. quest. 9. fine. P. Egid. d. 8. de Merit. dub. 9. P. Torref. 2. 2. d. 68. dub. 3. P. Granad. 2. 2. contr. 3. tract. 3. P. Merit. tract. de Charit. d. 46. Lorca 1. 2. d. 48. de grat. conclus. 2. Alvarez. de Auxil. d. 60. num. 31. Zúñel. 1. 2. quest. 114. art. 8. d. 2. fine. & d. 5. dub. 1. P. Tanner. 1. 2. d. 6. quest. 6. num. 112. Navar. in Manual. cap. 6. num. 6. & in cap. Consider. de Penit. d. 5. P. Henric. cap. 20. de Fine homin. num. 28. Can. Resolut. de Penit. part. 5. P. Sal. 1. 2. tract. 13. d. 5. sect. 7. quos citat, & sequitur P. Ripal. tomo 2. d. 90. sect. 8. n. 84. P. Amicus tomo 3. d. 35. n. 250. & alii.*

Probatur primò ex illo 1. Cor. 2. *Unusquisque mercedem accipiet secundum suum laborem: Cujus sensus est, unumquemque, cæteris paribus, eò majus præmium gloriæ essentialis recepturum in Cælo, consequenterque majus gratiæ, & virtutum augmentum, quò majorem laborem sustinuerit in obsequium Dei; sed evidens est, eum, qui charitatis actum æquali intensione per horam, aut diutius continuat, magis laborare, quàm qui unico instanti illum exercet; ergo &c.*

Probatur secundò autoritate D. Cyprian. *cap. 10. in epist. 16.* ubi ad quosdam Confessores sic scribit: *Ad fastigia celsiora, ait, morà ipsa passionis ascenditis, longoq; temporum ductu glorias vestras trahitis, sed augeatis, tot vestra laudes, quot dies; quæ mensum curricula, tot incrementa meritorum; quò largior pugna, hoc corona sublimior.* Ubi more Scripturæ manifestè differit de coronâ essentiali, quam celsè testatur augeri solâ diuturnitate, & morà passionis, ac pugne; ergo &c.

Probatur tertio rationibus: Prima, quia juxta commune Prudentum æstimationem majori laude dignus est, qui aliquid opus meritorium facit, & in eo diu perseverat, quàm qui subito, & quasi transitorie efficit, illudque statim omittit, ut etiam accidit inter homines; sic enim majus obsequium est moraliter continuare longo tempore opus gratum Principi, quàm illud unico instanti perficere, & statim omittere; ergo etiam qui ita perseverat in obsequio præstando dignus erit majori præmio, nempe majori augmento gratiæ, & gloriæ.

Secunda, quia major duratio gratiæ, & gloriæ est majus præmium; ergo major duratio obsequii est majus meritum. Tertiò quia peccatum diutius perseverans est majoris demeriti, ut alibi dicemus; quis enim dicit, non n. teri majorem penam, qui per horam continuat odium proximi, quàm, qui elicitum in uno instanti statim interrumpit in sequenti? ergo etiam majoris meriti est, cæteris paribus, actus bonus diu, quàm brevis durans, ac perseverans. Quarta, quia unus, & idem actus diutius perseverans moraliter æquivaleret aliquo modo pluribus actibus similibus eodem tempore, sive temporis duratione factis; sed hi, si fiant, augebunt meritum; ergo etiam sic augebit illius actus duratio, & continuatio.

Dico 2. Continuatio actus meritorii per se loquendo, non est tam meritoria, quàm prima ejus inchoatio,

inchoatio; sive productio. Est communis. Ita P. Soar. P. Amicus. & alii supra cit. Bellan. d. 8. de Charitat. num. 169. qui ita hanc conclusionem probat, quia continuatio actus boni non est tam difficilis, quam est ejus prima inchoatio, sive productio; ergo neque erit tam meritoria.

250. Non placet primò, quia sæpè, imò regulariter contingit, quod sit nobis facilius bonum opus inchoare, quam in illo perseverare, ut quisque experitur in meditatione, attentione, & oratione; ergo &c. Secundò, quia in præsentia non agimus de merito ex majori difficultate operis, de quo jam supra, neque de alia circumstantia extrinseca, sed de merito illo, quod actus habet ex se, sive fiat cum hac, sive cum illa difficultate, comparando ejus primam productionem cum illius continuatione præcisè, & cæteris paribus. Unde melius cum P. Soar. cit.

251. Probat, quia meritum in prima productione actus respondet substantiæ ipsius actus, in conservatione verò ejus durationi; sed duratio actus non est tam meritoria, quam est substantia ipsius actus; utpotè quæ non est tam bona & laudabilis, neque tanti valoris; ergo &c. Confirmatur, quia regulariter inter homines plurius æstimatur obsequium primò alteri exhibitum, quam ejus continuatio, præsertim ad breve tempus: & idem de prima electione ad aliquam dignitatem, nempe ad Episcopatum; ergo idem erit apud Deum. Dixi per se loquendo, quia sæpè in duratione actus, præsertim si parva non est, intenditur actus, aut alii de novo repetuntur, quibus licet remissis majus præmium gratiæ, & gloriæ debet correspondere, prout supra diximus. Adhuc tamen variæ sunt sententiæ contra præcedentes conclusiones, quas in tres præcipuas adducemus.

252. Prima sententia docet, nihil amplius meriti dari in continuatione actus, quam in prima ejus productione, siquæ durationem, & continuationem actus non augere ejus meritum. Ita Bannez. 2. 2. quest. 24. art. 6. dub. 5. & alii, pro quibus Argues 1. Ex D. Aug. Non multitudo operum, inquit, non diuturnitas temporum auget meritum, sed sola charitas, & melior voluntas; ergo ubi diuturnitati operis non accidit major charitas, aut melior voluntas, neque accidit augmentum meriti. Respondeo primò, D. Aug. differere de operibus externis, docereque eorum multitudinem, & diuturnitatem seorsim à charitate & voluntate interna non conferre ad augmentum meriti: nos autem loquimur de continuatione actuum interiorum. Respondeo secundò, D. Aug. non negare diuturnitati actus meritum absolute, sed comparative, quatenus vult magis augeri meritum perfectione substantiali actus, & intensione charitatis, quam accidentali duratione ipsius.

253. Argues 2. Actus continuatus solum differt ab instantaneo accidentaliter ratione durationis; ergo solum pro illo meretur præmium accidentale, non verò substantiale gratiæ, & gloriæ. Respondeo primò, dato antecedente, negando consequentiam; nam etiam major libertas, major gratia justificans, & major intensio sunt accidentia actus; & tamen ei conferunt augmentum meriti substantialis; ergo similiter duratio actui accidentaliter poterit ei meritum substantiale augere. Respondeo secundò negando antecedens; licet enim omnia illa physice sint accidentia extrinseca actui, moraliter tamen pertinent ad substantiam ipsius intrinsecam, prout est meritorium, & moralem æstimationem inducit.

254. Argues 3. Meritum, prout supra diximus, consistit in actu interno; sed duratio nihil addit actui

interno, cum semper maneat idem omnino actus; ergo etiam nihil addit meriti. Resp. distinguendo minorem: nihil addit actui interno physico; concedo minorem: morale; nego minorem: Unde sicut conservatio rerum permanentium, & incorruptibilium est majus Dei beneficium moraliter, licet physice nihil addat supra entitatem rei primò productæ; siquidem ratio beneficii, cum sit moralis, crescit per ipsius rei permanentiam in eodem esse; ita etiam crescit obsequium apud Deum moraliter, & in æstimatione per continuationem operis boni, licet nulla entitas physica addatur ipsi operi; siquidem meritum, cum sit quid morale, potest moraliter augeri absque aliqua additione quoad entitatem physicam actus elicit.

255. Argues 4. Augmentum gratiæ, & gloriæ correspondet soli actui intensiori; sed actus continuatus per solam continuationem non est intensior habitus; ergo ratione solius continuationis non ei respondet augmentum gratiæ, & gloriæ. Respondeo negando majorem; jam enim ex supra dictis constat, posse actus æquales, imò & remissiores habitus mereri augmentum gratiæ, & gloriæ substantialis.

256. Argues 5. Ad novum meritum requiritur nova libertas formalis, & immediata, & non sufficit mediata, & denominativa, prout supra diximus; sed sola inchoatio, & prima productio actus est formaliter, & immediate in se libera; continuatio verò ad summum est libera mediata, & denominativa ab ipsa inchoatione, & primâ productione actus; ergo talis continuatio nullum habet meritum diversum à primâ productione actus. Probat minor, quæ sola eget probatione, quia actus in eo primo instanti, in quo producitur, non potest desinere; alioqui in eodem instanti esset, & non esset; sed neque immediate post potest desinere; siquidem immediate post instans sequitur tempus juxta sententiam Aristotelis, quam alibi secuti sumus in Physica; actus verò voluntatis, cum sit indivisibilis, & permanens habens totum esse simul, non potest desinere per ultimum sui esse, sed per primum sui esse; ergo necessariò debet durare per aliquam moleculam temporis, quod necessariò intercedit inter instans inceptionis, & desitionis illius; ac proinde non liberè, sed necessariò durat absque ulla libertate immediata & formali.

257. Respondeo negando minorem, & ejus probationem; falsum enim est, ut alibi diximus in Philosophia, rem indivisibilem non posse desinere per ultimum sui esse; siquidem eademmet temporis instantia, licet sint indivisibilia, & uno tantum momento singula durent, desinant per ultimum sui esse. Et argui potest contra Adversarios, quia sequeretur, non justificari hominem in instanti contritionis; siquidem in eorum sententia in nullo instanti respondet actioni meritorie gratia conferenda, sed solum tempore, quo solum est actio meritoria.

258. Dicent, licet per se nulla respondeat gratia primo instanti contritionis, eo tamen instanti statim dari à Deo totam gratiam, quæ per durationem, & intensiorem actus responsura erat eidem actui contritionis pro toto tempore, quo illa erat duratura. Sed contra, quia ex hoc sequeretur: Primò, primam gratiam non dari secundum præsentem dispositionem, sed secundum futuram; hoc autem est contra rationem præmii, quod de lege ordinaria non datur ante, sed post meritum. Secundò, posse aliquando majorem gratiam conferri ei, qui initio habuit remissorem, quam ei, qui

Eccz habuit

habuit intensiorem gratiam; siquidem primus potuit longiori temporis continuatione superare intensiorem dispositionem secundum; hoc autem repugnat. Tertio, non solum primam gratiam, sed etiam ejus augmentum dari primæ dispositioni, ut præmium de congruo; hoc autem est falsum; siquidem sola prima gratia respondet primæ dispositioni ut præmium de congruo; augmentum enim gratiæ respondet continuationi ejusdem dispositionis, ut præmium de condigno, ut infra dicemus; ergo &c.

259. Argues 6. Si duratio actus boni augetur ejus meritum, sequeretur in quolibet actu bono per aliquid temporis durante dari infinitum meritum; hoc autem est falsum; ergo & illud, ex quo sequitur. Probat sequela, quia meritum perficitur in instanti, sicut actus voluntatis, cujus est proprietas; sicq; in primo instanti habet determinatum meritum; ergo si duratio actus auget ejus meritum, tantum merebitur in quolibet instanti illius temporis suæ durationis, quantum meruit in primo instanti suæ primæ productionis; sed instantia cujusque temporis, etiam brevis, sunt infinita; ergo etiam meritum ipsius actus erit infinitum. Hoc est totum fundamentum opinionis contrariæ, in cujus solutione mirum est quantum laborent, & variant Doctores. Omissis igitur aliis solutionibus, quas adducunt, & impugnant *P. Amicus & P. Ripal. cit.*

260. Respondeo cum *P. Soar. cit.* negando majorem, ad cujus probationem dicimus, productionem actus in primo instanti spectare ad substantiam ipsius actus, quia tunc primò fit, ideoque ei respondere certum, ac determinatum meritum, & præmium pro eodem instanti: at verò perseverantia est circumstantia ipsius actus, ratione cujus ei accrescit aliquid valoris moralis in ordine ad meritum, illud tamen augmentum non fit in instanti, sed successive; siquidem perseverantia est successiva, cum non possit intelligi tota simul, ideoque meritum ex tali perseverantia actu adveniens est finitum, sicut finitum est tempus per cujus partes augetur cum proportionem ad illas. Neque ex instantibus infinitis confurgit infinitas meriti; siquidem perseverantia actus non augetur ex vi singulorum instantium, sed terminatur, aut copulatur, sicut terminantur, & copulantur partes successive ipsius temporis, quibus ipse actus perseverat.

261. Instabis: Inter instans, & tempus non est proportio; ergo neque inter meritum primi instantis, & meritum continuationis; sicque unum excedet aliud infinite. Respondeo primò, instans non idè dici improportionatum tempori, quia ab illo infinite exceditur; hoc enim est falsum, sed quia est indivisibile, ideoque non potest esse pars continui essentialiter divisibilis, prout alibi diximus. Undè sicut ex hac improportionem non sequitur, tempus excedere instans infinite, ita non sequitur, meritum continuationis excedere infinite meritum primi instantis productionis actus.

262. Respondeo secundò ex comparatione unius instantis ad tempus non fieri rectam comparationem ad meritum primi instantis, & continuationis; siquidem instans, & tempus nullam habent inter se proportionem, cum hoc sit essentialiter divisibile, illud autem indivisibile; indivisibile verò, & divisibile nullam habere possunt proportionem, & commensurationem: at verò meritum primi instantis, licet sit indivisibile quoad productionem, quæ est tota simul, nihilominus meritum talis actus est certæ quantitatis, & perfectionis, quæ potest à nobis considerari ut divisibilis secundum valorem, & intensiorem, cui prout sic correspon-

deat præmium, sive gratia ut duo, aut ut quatuor juxta perfectionem ipsius actus, & hoc modo potest meritum primi instantis servare proportionem ad meritum continuationis, & durationis in tempore. Imò aliquando potest esse majus meritum in prima productione instantaneæ actus, quam in ejus continuatione, si hæc sit parva, aut remissa; aliquando verò poterit excedere meritum continuationis, si hæc magna sit, & præsertim si conjungatur cum majore intensiorem ipsius actus; siquidem jam tunc additur actu nova circumstantia augens meritum.

Urgebis: Actus potest continuè intendi toto tempore, quo durat; sed durat infinita instantia; ergo infinite intenditur; consequenterque augetur ejus meritum infinite. Respondeo negando consequentiam; quia ex utroque capite, nempe intensiorem, & continuationis meritum crescit successive quasi per partes proportionales, & in singulis instantibus solum est continuatio ejusdem meriti, ideoque cum meritum solum duret tempore finito, finitum semper est ejus augmentum, & certis terminis clausum.

Replicabis: In secundo instanti, quo actus conservatur, licet non mereatur tantum, quantum in primo instanti, debet mereri aliquid, & quidem determinatum, ac proinde quod non fit pars proportionalis; siquidem debet mereri aliquid donabile à Deo; Deus autem solum potest donare aliquid certum, & determinatum; nam pars proportionalis cum sit incerta, & indeterminata, non est à Deo donabilis, sicut neque cognoscibilis; sed in qualibet parte determinata temporis dantur infinita instantia; ergo meritum continuationis actus erit infinitum. Respondeo ex proximè dictis in secundo instanti durationis actus (idemque est de reliquis instantibus) non dari meritum aliquod distinctum ab illo, quod correspondet parti certæ temporis, sed terminari, sicut terminatur ipsa pars certæ temporis. Undè sicut partes certæ, & determinatæ sunt finitæ, ita etiam finitum est ipsum meritum. Neque in partibus indeterminatis, & proportionalibus, quæ quidem sunt infinite syncretematically, datur meritum determinatum, sed tantum indeterminatum, & proportionale, sicque finitum.

Argues 7. Voluntas non applicat majorem contentum in conservatione actus, quam in prima ejus productione; ergo neque habebit majus meritum in conservatione, quam in prima productione illius. Respondeo voluntatem in conservatione actus non plus conari intensivè, conari tamen plus extensivè per correspondentiam ad majus temporis spatium, quod satis est ad augendum meritum; sic etiam eodem modo actus est magis voluntarius, sive liber extensivè, licet non sit intensivè.

Argues 8. Ex tradita doctrina sequitur, si Angelus ab aeterno crearetur (quod non repugnat prout diximus in *Met. tr. 8. d. 1. sect. 3. n. 66.*) & ab aeterno actum bonum liberum eliceret, talem actum mereri præmium infinitum; quia Angelus posset illi liberè conservare singulis instantibus, sicq; singulis instantibus mereri, & cum per totam aeternitatem computentur infinita instantia, imò & infinita sæcula, infinitum esset illius meritum, eique infinitum præmium responderet; sed hoc videtur absurdum; ergo &c. Respondeo primò, supponi falsum, posse Angelum sic ab aeterno creatum, & actum ab aeterno liberè elicientem, illum liberè ab aeterno continuare; siquidem eo ipso quod ab aeterno talis actus fuit productus, non potuit immediatè post non

non conservari, sicque necessariò, & non liberè conservaretur; alioqui si immediatè post posset corrumpi, sequeretur: Primò, non durasse in æternitate, sed in instanti: Secundò, posse assignari primum instans, sive principium in æternitate.

267. Respondeo secundò, admissò eo actu liberè ab æterno productò, & conservato, meritum illud habiturum valorem infinitum quoad durationem, non autem quoad essentiam; sicque ei correspondere præmium infinitum accidentale, sive quoad durationem, quæ est quid accidentale actui; non verò præmium infinitum essentiale, sive quoad essentiam; siquidem duratio etiam infinita meriti actûs v. g. charitatis non mutat ejus essentiam, cum igitur talis actus quoad substantiam sit finitus, & solum infinitus secundùm accidens, ratione scilicet durationis infinitæ, solum augetur ejus valor, & meritum secundùm accidens, sive durationem infinitam. Undè nunquam Angelus per talem actum posset mereri unionem Hypostaticam, aut præmium ali- quod infinitum quoad essentiam.

268. Argues 9. Omissio actûs præcepti liberè continuata non meretur diversam pœnam ab ea, quam merebatur in primo instanti, in quo fuit primò liberè volita; ergo neque actus honestus liberè conservatus merebitur diversum præmium ab eo, quod meruerat in prima sua productione. Respondeo negando antecedens, dato quod omissio talis actûs etiam in sequentibus instantibus sit peccaminosa, sicut actus bonus in sequentibus instantibus, in quibus continuatur, est meritorius: nam si præcipiatur, non solum actus, sed etiam ejus conservatio pro tempore sequenti, tunc tam in primo instanti tenetur homo actum elicere, quàm illum in sequentibus conservare, quod si omittat, peccabit peccato omissionis tam in illo non eliciendo, quàm in non conservando, sicque majorem, & diversam pœnam merebitur in non eliciendo, & non conservando tali actu, quàm in eo tantùm non eliciendo.

269. Instabis: Omissio actûs præcepti non meretur pœnam juxta intensiõnem, quam deberet habere actus præceptus omissus, ira ut si hic deberet esse intensus ut quatuor, omissio illius mereatur pœnam correspondentè intensiõni ipsius actûs omissi; ergo neque merebitur pœnam juxta durationem, quam ipse actus deberet habere. Respondeo juxta proximè dicta negando antecedens, dato, quod actus esset præceptus sub certa intensiõne, sicut diximus de illo in casu, quo ejus duratio præcipere- tur; tunc enim ejus omissioni deberet correspondere pœna respectivè ad intensiõnem ipsius actûs omissi, sicut diximus de omissione durationis præceptæ.

270. Undè fit, quod si actus solum præcipitur quoad substantiam, correspondet ejus omissioni sola pœna respectivè ad substantiam actûs omissam absque ulla intensiõne. Si tamen actus non potest elici absque aliqua intensiõne, saltem minima, hæc eadem cadit sub illius præcepto, ejusque omissioni debet correspondere pœna respectiva ad illam minimam intensiõnem; siquidem eodem præcepto, quo præcipitur substantia actûs, præcipitur etiam ipsa minima intensiõ, sine qua non potest elici; sicut etiam præcipitur ejus minima duratio, infra quam non potest existere. Si verò præcipiatur actus sub aliqua intensiõne, aut duratiõne indeterminata, correspondebit pœna omissionis intensiõni, aut duratiõni minima actûs omissi; siquidem saltem illa minima intensiõ, aut duratio erat præcepta cum ipso actu, quando ipse actus

primò fuit præceptus.

Argues 10. Si continuatio actûs auget ejus meritum, sicut & demeritum, sequitur, quod perseverantia actûs mali debeat in confessione aperiari; sed hoc non videtur admittendum; esset enim aperiare viam innumeris scrupulis; ergo &c. Respondeo de circumstantiis notabiliter aggravantibus intra eandem speciem in confessione aperiendis duplicem dari sententiam: Prima negat esse necessariò aperiendas, & juxta hanc continuatio actûs non est necessariò aperienda in confessione; siquidem non est circumstantia mutans speciem, quæ sola debet in confessione aperiari, sed tantùm aggravans intra eandem speciem. Secunda affirmat esse necessariò aperiendas, & in hac aperiari debet in confessione continuatio actûs, neque in hoc aperiatur via scrupulis, cum sufficiat dicere: perseveravi liberè in odio inimici per unum quadrantem, aut mediam horam plus minùsvè. De hoc tamen alibi.

## SECTIO XI.

### *Dua alia sententia proponuntur, & refutantur.*

**S**ECUNDA sententia asserit, durationem, & continuationem actûs augere ejus meritum, ita tamen, ut cuilibet instanti durationis, & conservationis actûs correspondeat novum omninò meritum; consequenterque præmium æquale primo suæ primæ productionis, & ab illo distinctum. Ita aliqui Recentiores, pro quibus:

272. Objicies 1. Idem actus meritorius conservatus per integram horam æquipollet moraliter pluribus actibus ejusdem rationis, quos homo spatio talis horæ poterat elicere; atqui si illos eliceret, per repetitionem cujuslibet actûs mereretur tantum, quantum per actum primò productum; ergo etiam tantum merebitur in quolibet instanti continuationis ejusdem actûs, quantum in prima ejus productione. Respondeo eundem actum continuatum æquipollere moraliter, & in genere moris pluribus actibus ejusdem rationis quoad aliquod præmium promerendum; non tamen quoad omne, & æquale præmium. Et ratio est, quia moraliter plus obsequii exhibetur Deo per actum primò productum, quàm per ejus continuationem; siquidem per primam productionem exhibetur substantia operis, per solam verò continuationem exhibetur sola operis circumstantia, quæ non est tanti valoris, ac proindè non tanti meriti: at verò in repetitione actuum, cum hi sint quoad substantiam diversi, licet ejusdem rationis, exhibentur Deo plura obsequia æqualia primo actui, sicque æquale meritum in omnibus illis esset, cui etiam æquale præmium responderet.

273. Objicies 2. Si homo volens elicere novum actum similem primo jam elicitò, determinaretur à Deo ad eliciendum eundem numero, quem primò elicit (quod de potentia absoluta fieri non repugnat) absque dubio per hujusmodi actum sic iterum productum mereretur homo tantum, quantum meruit per illum primò productum; & tamen in eo casu esset idem omninò actus quasi continuatus; ergo eodem modo merebitur continuando tantummodò illum absque illa nova productione. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia in facta suppositione actus ille æquipollet moraliter duobus, etiam quoad substantiam; sicut